

PRO O E M I V M

ut de prioribus ita penitus in fallibile, ueruntamen sufficienti, ac probabiliti coniectura fundatum. Cum enim cœlum ad hoc, uel ad illud humanum corporis alteret, atq; disponat, bonamue fortunam, ue mala in homini inspiret: non poterit propria uoluntate corpus proprium de insano sanum facere (de his loquor, quæ à natura sunt) nec poterit similiter bonā sibi fortunam in negotijs humanis, ac dignitatibus, & honoribus appropriare, & sic de memoria, intellectu, longa ipsius uita, & de cæteris. Nec inficior tamen hominem penitus humana sapientia, ac prouidentia posse stellarū opus adiuuare, uel incuria, & malo regimine abbreviare. Sed hoc raro & per accidens euenit. Quæ uero humanæ uoluntatis subiici, & ab eadem moderari uel corrigi possunt, licet sint copori à cœli influxu naturaliter insitæ, & propagatae, ut concupiscentia, & irascibilis, ex quo aliqui ad desideria uoluptatum, aliqui ad iram, & vindictam, aliqui ad bonos mores, philosophiam, uirtutes, & temperantiam, ad fraudes, aliqui bella, & rapinas magis proni existunt. De his potest naturale iudicium proferri, ad quod cœlum naturaliter inclinat, atq; disponit, & sic naturali, atq; humana coniectura fundatum. Quum autem homo sit animal politicum, ipsumq; Deus intellectuali spiritu insignuerit, atq; eundem cœlesti radio uultus sui, & rationis lumine illustrauerit, animamq; eidem liberam, ac uoluntatem cum potestate arbitrij sui super humanas affectiones, ac syderum inclinationem donauerit, his medianis tibus (præueniente diuino lumine) humani corporis affectiones, & passiones in diuinam, ac supernaturalem alteram naturam transferre, & commutare poterit. Vnde in his Astronomorum, ac cæterarū humanarū scientiarum iudicium fallax, & inane. Quod de brutalibus hominibus, qui non ductu rationis, quin uoluptatis affectu humanam naturam in irrationalē commutant, ut plurimum uerax fiet. Quicquid igitur in libro hoc, uel quorumcunq; astrologorum iudiciorū dictis circa futura contingentia dictum, uel scriptum inueniris, non aliter, quam hic modo prædiximus, dictum puta. Quoniam nostra hæc est sententia elementaria corpora quæque, siue ex eisdem compacta a superioribus gubernari: cuncta tamen diuinæ postestati, atq; hominum actus, qui ab hac moderari possunt humanæ subiici uoluntati.

ISAGOGICA SIVE INTR OD VCTORIA

in cœlestem astrologicam disciplinam, & primo de signis circuli duodecim obliqui.

Zodiacus, siue obliquus circulus in partes duodecim æque diuisus, signa totidem in longitudine, gradus uero duodecim in latitudine continet, ab eclyptica medium possidente (quam Sol inuariabiliter calcat) senos urtinq; impariens, per quos a Solari itinere planetæ reliqui, plusmodo, uel minus, aut nihil quandoq; diuertuntur. Ex quo ab eclyptica septen-